AUTHOR:

ROSSBACH, AUGUST

TITLE:

DE EUMENIDUM PARO-
DO COMMENTATIO

PLACE:

VRATISLAVIAE

DATE:

[1859]

Master Negative #

91-80313-30

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Rossbach, August, 1823-1898
De Eumenidum parodo commentatio... Vratislaviae, typis Grassii, [1859].
17 p. 26 cm.

Academic programme, Breslau, 1859.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10-29-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

DE
EUMENIDUM PARODO COMMENTATIO

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
AUCTORITATE

MUNUS ORDINARIUM IN ACADEMIA VIADRINA RITE AUSPICATURUS

D. XII. AUG. MDCCCLIX

PUBLICE DEFENDET

AUGUSTUS ROSSBACH

ADSUMPTO AD RESPONDENDUM SOCIO

NESTORE STENZEL, PHIL. STUD. ET S. PH. S.

CONTRA ADVERSARIOS

I. OBERDICK ET W. MERKENS, PHIL. STUD. ET S. PH. S.

VRATISLAVIAE,
TYPIS GRASSII, BARTHII ET SOCII (W. FRIEDRICH).

Qui ante G. Hermanni aetatem tragoediis Aeschyleis operam dederunt, ii quum reconditiores artis choricae leges ignorarent, stropharum ordinem crediderunt esse nullum, nisi eum, qui per vulgarem strophae et antistrophi consecutionem procederet. Cui opinioni quum non deessent, quae repugnarent: non solliciti illi de legum generalium, quibus poetae chorici tenebantur, indagatione eo se abripi passi sunt, ut stropharum non reformidarent violentissimas traiectiones paucaque, quae ex multis nobis restiterunt, splendidissimae artis exempla aliquamdiu de medio tollerent. Facile hanc temeritatem ignoscamus Blomfieldio, qui ne a monostrophico ordine deflecteret, Agamemnonis threnum lacunosum putabat, aliisque Anglis, in quibus ea miranda non videtur: verum ipse etiam Schuetzius nostras, homo elegans et ingeniosus, qui felicius quam a plerisque existimatur, in fabularum Aeschylearum emendatione elaboravit, admirabilem threni alteriusque stasimi in Choephoris artem turbavit neque quo tempore doctrinae metricae instaurata erat disciplina, de sententia sua deiectum se arbitrabatur. Nunc posteaquam ante quinquaginta annos G. Hermannus ordinum, quibus se strophae exceperint, leges ab Hephaestione generatim quidem sed satis distincte expositas non solum redintegravit, sed sagacissime etiam ad eas Agamemnonis et Choephororum carmina nonnulla revocavit: nemo erit quisquam, qui denuo ea de re pugnandum esse censeat. Neque debellatum tamen prorsus videtur, quum unum extet carmen, cuius etiam nunc dubia est conditio, Eumenidum parodus. Quod carmen qui primi in eam redegerunt stropharum seriem, quae nunc est in exemplaribus fere omnibus, e metricis difficultatibus aliter expediri se posse negabant. Commoda videbatur et blanda traiectio; assensi sunt, qui posthac in eundem locum venerunt, ipse etiam Hermannus, atque quod primum non sine haesitatione novatum fuit, mox ut fit quum gravissimi viri in easdem partes venissent, communi opinione credi coeptum est; quin etiam caussarum quibus primum inducta mutatio erat, immemores non defuerunt, qui nova sibi contulisse argumenta viderentur. Duo tantum extiterunt homines docti, qui librorum scriptorum defenderent memoriam, alter Schoemannus V. Cl. in barbara Eumenidum interpretatione, Gothanus alter, homo sollers et sagax, qui rufulum exemplar sine nomine emisit: verum ambo ita carmen tractaverunt, ut iure ambigi possit, utrum praestet stropharum traiectionem falsam

illam quidem, sed ad artis tamen normas redactam probare, an carmen habere lacerum et invenustum. Quorum breviter examinemus sententias, priusquam quid ipsi sentiamus, persequamur accuratius.

Versuum, ex quibus omnis proficiscitur quaestio, hic est in codicibus ordo, ut ii qui nunc post v. 368 exhibentur, antiquitus versum 376 sint secuti

ἁμετέραις ἐφόδοις μελανείμοσιν ὀρχησμοῖς τ' ἐπιφθόνοις ποδός.
Μάλα γὰρ οὖν ἁλομένα
ἀνέκαθεν βαρυπεσῆ
καταφέρω ποδὸς ἀκμὰν
σφαλερὰ τανυδρόμοις κῶλα δύσφορον ἄταν.
Πίπτων δ' οὐκ οἶδεν τόδ' ὑπ' ἄφρονι λύμᾳ κτλ.

Traiectionem, quae in nostris est exemplaribus, primus suasit Heathius, quo tempore rei choricae leges subtiliores nondum ab oblivione erant vindicatae, anno MDCCLXII in *notis sive lection. ad tragic. Graec. dramat. pag.* 126*: hi autem versus non revera quinque ultimis antistrophae secundae versibus opponuntur, quippe metra omnium praeter ultimum dactylica sunt . . . sed quinque iis versibus, qui in vulgatis stropham tertiam constituunt. Librariorum scilicet oscitantia factum est, ut quinque ii versus, qui stropham tertiam constituere debebant, nunc antistrophen secundam claudant; qui vero antistrophen secundam claudere et suprascriptis opponi debebant, nunc pro stropha tertia nobis obtrudantur.* Haec Heathius. Ceteri autem versus eodem ordine semper legebantur quo in codicibus, sed multum interest, utrum pauculi illi suo loco pellantur an maneant, nam prout alterutram sequeris sententiam, diversa plane oritur totius carminis compositio. Atque Schoemannus quidem quum v. 352 *παλλευκων δὲ πέπλων ἄμοιρος ἄκληρος ἐτύχθην* et *Ζεὺς γὰρ αἱματοςαγὲς ἀξιόμισον ἔθνος τόδε λέσχας* pariterque v. 358 *κρατερὸν ὄνθ' ὁμοίως μαυροῦμεν ὑφ' αἵματος νέου* et *σφαλερὰ τανυδρόμοις κῶλα δύσφορον ἄταν* sibi non congruentes animadvertisset quumque Hermanni in emendando aversaretur audaciam: codicum vestigia premens versum unum, quem 352° olim convenisse finxit, nobis deperditum existimare maluit quam emendando numerorum integritati subvenire. Itaque alterum malum devitare conatus incidit in alterum idque maius factumque est id quod aiunt incidere e Charybdi in Scyllam. Nimirum Hermannus voculas singulas aut mutandas aut inserendas arbitratus erat alias iure, alias sine iure, Schoemannus vero totum versum, quem excidisse putabat, barbare contexuit adulterinumque genuinis immiscuit. Unde haec consequitur carminis divisio, ut tres sint inter se impares mesodi, quarum prima et tertia paribus cincta sit strophis:

α α   β γ β   δ   ε ϛ ε   ζ ζ

Adversarius extitit magnus in hoc genere auctor G. Hermannus, qui in Annal. litter. Vindobon. 1845. CXI p. 258 eadem quae ipse olim in Schuetzium tulerat arma improviso in se lata non sine aegrimonia animadvertebat. Utinam is exposuisset, cur librorum ordo teneri non posset, at vero neque illo neque alio loco unquam id demonstrare instituit, sed satius duxit Schoemannum argumentis nonnullis impugnare. Quorum alia sunt vera, alia eaque graviora non vera. Vere hoc quidem est ab eo dictum manifesto inesse numerorum

congruentium indicia in versibus 334—339 et 346—350, quorum plerique sibi responderent et pauca tantum essent corrupta

ἀνατροπὰς ὅταν Ἄρης	*μάλα γὰρ οὖν ἁλομένα*
τιθασὸς ὢν φίλον ἕλῃ,	*ἀνέκαθεν βαρυπεσῆ*
ἐπὶ τὸν ὦ διόμεναι	*καταφέρω ποδὸς ἀκμὰν*
κρατερὸν ὄνθ' ὁμοίως μαυροῦμεν ὑφ' αἵματος νέου	*σφαλερὰ τανυδρόμοις κῶλα δύσφορον ἄταν.*

nec minus vere hoc: mediam mesodum

Ζεὺς γὰρ αἱματοςαγὲς ἀξιόμισον ἔθνος τόδε λέσχας ἇς ἀπηξιώσατο

breviorem esse, quam quae pro iusta stropha haberi posset. Quod autem in stasimis mesodicam stropharum complexionem admitti posse negavit, id reluctandi aestu abreptus satis incaute scripsit neque sibi ipse postea constitit. Choephororum enim canticum v. 784 *Νῦν παραιτουμένᾳ κτλ.*, quod non potest nisi pro secundo stasimo haberi, ab ipso Hermanno in exemplari *μεσῳδικῶς* est divisum neque singulis choreutis vel hemichoriis, sed ut par erat toti choro attributum. In medio relinquamus tertium eiusdem fabulae stasimon v. 935 *ἔμολε μὲν δίκα κτλ.*, quod utrum inter mesodica an inter monostrophica referendum sit, Hermannus dubitat, nos vero pariter ac Dindorfius, Ahrensius, alii mesodicum esse etiamnunc arbitramur. Quo recte disposito non erit, cur Hermannum sequentes carmen late oscitante lacuna sex versuum deformemus; nam unus tantum excidit dochmius. Sed ne multi in hac re simus, Eumenidum carmen, cuius caussa haec exposuimus, stasimon non est, ut Hermannus aliique opinati sunt, sed parodos, *πρώτη λέξις ὅλου χοροῦ* h. e. chori una concinentis nec per hemichoria vel alio modo alternantis. Nam quod antecessit carmen v. 144 *ἰοὺ ἰοὺ πόπαξ*, id parodi locum obtinere non posse commatica *κατὰ διακοπὰς* recitatio docet. Idem de altero, quod praegreditur, carmine v. 255 *ὅρα ὅρα μάλ' αὖ* dicendum est.

Igitur omne illud discrimen, quod Hermannus de mesodis disserens inter stasima et reliqua carminum genera intercedere docuit, prorsus est nullum.

Hermanni argumentis irretitum se teneri passus est C. Prienius in Mus. philol. Rhen. VI, 187 qui nova haec addidit: mesodorum in stasimis usum ab Euripide demum exorsum sententiarumque comprehensione Heathianam requiri traiectionem. Atque de posteriore quidem argumento infra suo loco, de priore nunc pauca. Mesodorum usus de quo Prienius loquitur, ab Euripide non inductus primum est, sed obscuratus et paene oblivioni traditus. Enimvero quo tempore chori dignitas deminuta erat: qui tandem poetae magnifica illa mesodorum structura uti poterant? In quam opinionem si forte Seidleri, qui in canticis Euripideis creberrimum mesodorum usum animadvertisse se existimabat, auctoritate seductus incidit, quod idem Schoemanno accidisse videtur: eum viri sagacissimi nimis quaesita artificia pro veris habuisse dolemus.

Igitur quae de mesodis disputavit Hermannus, ea Schoemanni divisionem falsam evincere non possunt. Scilicet alio uti debebat argumento, quo quod studuit demonstrare certissime poterat, abhorrere divisionem istam ab Aeschyli consuetudine, qui in magno stropharum numero nusquam pepigerit mesodos nisi ita, ut duae inter se responderent.

Haec Schoemanno tenenda summa lex erat, haec religiose servanda. Sin autem quis Schoemanni mesodos inter se convenientes reddere velit: is, quoniam duobus versibus *Ζεὺς γὰρ αἱματοσαγὲς — λέσχας ἃς ἀπηξιώσατο* stropham contineri ait, confestim et maiores et plures lacunas reluctante orationis continuitate statuendas esse totumque carmen foedissime turbandum intelliget.

Alter codicum defensor extitit Gothanus ille, qui eosdem versus quos Schoemannus impares esse voluit 334—339 et 346—350, sed eo a Schoemanno differt, quod spernit mesodos. Quas ut effugeret, dilaceratum carmen dixit, intercidisse enim post v. 367 *λέσχας ἃς ἀπηξιώσατο* quinque versus verbis *ἀνατροπὰς ὅταν Ἄρης — νέον* aliquando pares totidemque post v. 381 *πολύστονος φάτις* verbis *μάλα γὰρ οὖν — ἄταν* pares. Cur, quaeso? Sententiarumne caussa? Minime vero, non enim quidquam de interrupto orationis cursu scripsit. Ergone solius metri caussa? Ita ei visum est. At numeri isti cur concinni esse non possunt? Produnt concinnitatem tres priores versus (quartum enim labem traxisse sententia demonstrat), prodit metri aequalitas, cuius paucae tantum syllabae turbatae sunt, prodit denique metri proprietas, quae necessario responsionem requirit. Haec eadem est via, qua Blomfieldius eo pervenit, ut orationis nexu non cogente Agamemnonis threnum lacunosum putaret. Quod vero valde in Gothano illo est laudandum, hoc est, quod ceterorum se mirari ait argumentationem, quae sane perversissima est suoque uti maluit iudicio, quam aliorum imitari caecam obedientiam. Sed nolumus haec pluribus rimari praesertim quum optimum sit confutandi genus hoc, ut demonstretur omnia praeclare inter se conciliari posse, modo cautione accurataque artis choricae cognitione utamur.

Iam si quis stropharum in codicibus ordini patrocinari velit, ei hoc videndum erit, ut ne sententiarum officiat perpetuitati atque ut numeros exhibeat eos, qui Aeschyleis legibus sint consentanei, totius autem carminis conformationem ad fixas firmasque ceterorum carminum normas redigat. Nam qui novas formas fingunt ad sustentandam opinionem aliquam praetexentes pauca tantum compositionis genera in magna illa reliquarum tragoediarum iactura nobis esse cognita: ii quam simplices in hac re obtineant leges, ignorare videntur. Quare quoniam in hoc genere saepe titubatum vidimus, non supervacaneum erit eam rem paullo altius repetere easque formas ad quarum similitudinem Eumenidum parodi divisio exigenda erit generatim exponere.

Septem fuisse traduntur poetis Graecis strophae et antistrophi consociandae genera, de qua re Hephaestionis locus est p. 125. Satis autem constat tragicis poetis tritissimum esse genus id, quod Hephaestio *μονοστροφικόν* appellaverit, nos vero *κατὰ συζυγίαν* appellaturi sumus eosque hac re discrepare a lyricis, quod syzygias subsequentes impares fecerint, ut scribit Marius Victorinus p. 2502. Poterant autem tragici strophae et antistropho anapaestos interponere, id quod in reliquis quoque generibus facere consueverunt.

Secundo loco sunt *ἐπῳδικά*, rarius illa quidem primo genere, sed ceteris tamen generibus multo frequentius usurpata ita quidem, ut epodo canticum claudatur quod M. quoque Victorinus eodem loco dixit. Neque enim primo neque medio carmini inferri epodus solet, nisi ubi totus chorus primum una canit, h. e. parodos cantatur. Cuius rei haec extant exempla: Agamn. 140, Pers. 93. — Phoen. 226, Iphig. Aul. 204. —

Mesodicam coniunctionem ab Aeschylo satis frequentatam, ab iis vero qui secuti sint neglectam supra diximus. In quo genere lex valet haec, ut e duplici pericopa mesodicae duae, quae *μεσῳδικὸν* constituunt strophae, inter se congruant, e triplici autem sibi conveniant strophae mesodicae eae, quae sunt in prima et tertia pericopa, media sive secunda stropha mesodica nulli conveniat.

Difficile saepe est iudicare de eo coniunctionis genere, quod *κατὰ περικοπὴν ἀνομοιομερῆ* nominatur. Id quale esset, parum assecuti sunt scholiastae Byzantini ad Nub. 291. Pac. 361. 500. Ran. 534. et ii qui Hephaestionis enchiridium explicarunt, qui quod verbum *ἀνομοιομερῆ* Plurali numero dictum credunt, formam eam *τὸ κατὰ περικοπὴν ἀνομοιομερές* nominant. At vero vox *ἀνομοιομερῆ* accusativo singularis cum voce *περικοπὴν* coniungenda est. Nam quum strophae hoc modo se excipiunt *αβ αβ*, oriuntur duae pericopae, quarum unaquaeque ex duabus constat partibus inaequalibus. Recte scribit M. Victorinus pag. 2502: Reperitur nonnunquam huiusmodi compositio versuum in carminibus, non ut prima compositio secundae compositioni sicut in *στροφῇ* et *ἀντιστρόφῳ* respondeat, sed ut prima tertiae, secunda quartae similis habeatur, quae compositio *κατὰ περικοπὴν ἀνομοιομερῆ* dicitur.

Interdum parum liquet, utrum cantici aliqua pars pericopam inaequalem complectatur, an monostrophica sit. Sic primi cantici, quod in fabula septem heroum contra Thebas est, versus 110—126 alius pericopa duarum stropharum, alius trium, alius qui novissime id canticum tractavit una stropha comprehensos arbitratus est, neque alia desunt carmina, in quibus res sit controversa. Quare a certo aliquo nos proficisci exemplo oportet; certum est autem id, quod parabasi comica contineri veteres tradunt. Nam quum *ᾠδὴ* et *ἐπίῤῥημα* multum inter se distent et metrorum et recitationis diversitate: apparet eam coniunctionem *περικοπὴν ἀνομοιομερῆ* esse appellandam. Pariter certum est illud Agamemn. v. 1481—1529, quo loco inaequalis circuitus cernitur eo, quod strophis *αβ αβ* inserti sunt anapaesti. De hac re dicetur uberius, quum nobis ad primas Eumenidum parodi strophas perventum erit.

Palinodicae compositionis haec est species *αββα*, cuius formae unum est exemplum in Choephoris v. 423—455 ubi palinodia cum circuitu inaequali copulata est.

Proodicis et *periodicis* Aeschylus in tragoediis quae extant abstinuit, Euripides non abstinuit, qui proodicum fecit carmen Hel. v. 164, periodicum Med. v. 133.

Haec igitur primaria sunt coniunctionis genera. Variare ea et amplificare poetae consueverunt, non consueverunt tamen, nisi sic, ut vel amplissima carmina, quibus diversa coniunctionis genera consociata continerentur, ad primarias illas formas revocari possent. Iam artificiosiores Aeschyleorum carminum compositiones uno in conspectu ponamus adiicientes simul eam formam, quam in Eumenidum parodo obtinere existimamus, ut conveniatne ea reliquis carminibus an non, statim a legentibus diiudicari possit.

1. Agam. 1448: Threnos.

| α | An. | β | An. | α | An. ‖ γ | An. | δ | An. | γ | An. | δ | An. ‖ ε | An. | β | An. | ε | An. ‖

2. Choeph. 315: Threnos.

α β α An. γ β γ   An.   δ ε δ An. ϛ ε ϛ   ζ η ϑ ϑ ζ η   ι ι   κ κ

3. Choeph. 783: II. Stas.

α β α   γ δ γ   ε β ε

4. Choeph. 935: III. Stas.

α β α   γ β γ

5. Eumen. 321: Parod.

α β α β   γ δ γ   ε δ ε   ϛ ϛ

De tribus prioribus nulla nunc est hominum doctorum dubitatio, de quarto autem quid sentiendum sit, iam supra dictum est.

His expositis, quibus sententiae nostrae fundamenta et principia continentur, ad Eumenidum parodum accedamus. Omittamus traiectiones, lacunas, formas commentitias, scribamus versus eo ordine quo sunt in libris traditi, quid intuentibus nobis offertur? Congruere versus *γιγνομέναισι — δωμάτων γὰρ εἱλόμαν* cum versibus *σπευδόμεναι — ἀπηξιώσατο* pariterque versus *ἀνατροπὰς — νέον* cum versibus *μάλα γὰρ οὖν ἁλομένα — ἄταν* neque secus *δόξαι — ποδὸς* cum *πίπτων — φάτις.* Sed insunt corruptelae. Ita est At in quibus Aeschyli carminibus non insunt? Quid? Pleraque omnia nonne sana sunt? Nonne aliae aliarum fabularum strophae, de quarum ordine non ambigitur, multo foedius sunt corruptae? Nemo id, credo, infitiabitur. Quo intellecto prodiit haec mediae partis elegantissima simplicissimaque forma, quae supra satis est illustrata:

στρ.   μεσ. ϛρ.   στρ. μεσ. ϛρ.

Sed erunt fortasse, quae huic ordini obstent. Videamus et si erunt, exigamus ea ad reliquorum carminum fidem. Negaverit forsitan aliquis stropham cum mesodo orationis non interrupta continuitate cohaerere posse, verum huius rei certissima in promptu sunt exempla neque rara tollere, pervulgata inferre licet. Quamvis enim tragicorum poetarum carmina eo differant a lyricis, quod in stropha extrema finire orationem solent: sunt tamen haud pauci loci, in quibus eos lyricorum libertatem sibi indulsisse constet. Simillimum nostro loco exemplum est id, quod in Choephororum stasimo secundo legitur v. 830, ubi mesodus altera cum sequenti stropha ita est coniuncta, ut orationis cursus non intermittatur, sed enunciatum quod in mesodo exorsum est sine ulla interpellatione procedat:

μεσ. *σὺ δὲ θαρσῶν . . .*
καὶ περαίνων ἐπίμομφον ἄταν
στρ. *Περσέως τ᾽ ἐν φρεσὶν*
καρδίαν σχεθών κτλ.

Idem fit in carminibus, quae *κατὰ συζυγίαν* decurrunt:

Pers. 664: *Βάσκε πάτερ ἄκακε Δαρειάν, οἶ,*
ἀντ. *ὅπως καινά τε κλύῃς νέα τ᾽ ἄχη.*

Sept. 854: *Ἀλλὰ γόων, φιλίαι, κατ᾽ οὖρον*
ἀντ. *ἐρέσσετ᾽ ἀμφὶ κρατὶ πόμπιμον χεροῖν κτλ.*
Sept. 783: *πατροφόνῳ χερὶ τῶν*
κρεισσοτέκνων ὀμμάτων ἐπλάγχθη,
ἀντ. *τέκνοισιν δ᾽ ἀρὰς*
ἐφῆκεν ἐπικότους τροφᾶς, κτλ.
Suppl. 580: *Λαβοῦσα δ᾽ ἕρμα Δῖον ἀψευδεῖ λόγῳ*
γείνατο παῖδ᾽ ἀμεμφῆ
ἀντ. *δι᾽ αἰῶνος μακροῦ πάνολβον.*
Suppl. 1024: *Αἶνος δὲ πόλιν τάνδε Πελασγῶν*
ἐχέτω, μηδ᾽ ἔτι Νείλου προχοὰς σέβωμεν ὕμνοις,
ἀντ. *ποταμοὺς δ᾽ οἳ διὰ χώρας θελεμὸν πῶμα χέουσιν κτλ.*

Est etiam, ubi tres strophae orationis continuitate cohaereant:

Agam. 184 *αντστρ. δ᾽* *καὶ τόθ᾽ ἡγεμὼν . . .*
μάντιν οὔτινα ψέγων,
ἐμπαίοις τύχαισι συμπνέων
εὖτ᾽ ἀπλοίᾳ βαρύνοντ᾽ Ἀχαικὸς λεώς . . .
στρ. ε᾽ *πνοαὶ δ᾽ ἀπὸ Στρυμόνος μολοῦσαι . . .*
τρίβῳ κατέξαινον ἄνθος Ἀργείων, —
ἐπεὶ δὲ . . . ἄλλο μῆχαρ
μάντις ἔκλαγξεν . . .
ἀντ. ε᾽ *ἄναξ δ᾽ ὁ πρέσβυς τότ᾽ εἶπε.*

In tanta igitur exemplorum multitudine nulla est eius rei offensio. Alia autem in quibus haesitare aliquis possit non sunt. Proinde nunc totum carmen nostra dispositione conformatum obiiciamus oculis:

στρ. α.

321. *Μᾶτερ ἅ μ᾽ ἔτικτες ὦ μᾶτερ νὺξ ἀλαοῖσιν*
καὶ δεδορκόσιν ποινάν,
324. *κλῦθ᾽, ὁ Λατοῦς γὰρ ἶνίς μ᾽ ἄτιμον τίθησιν*
τόνδ᾽ ἀφαιρούμενος πτῶκα, ματρῷον ἅγνισμα κύριον φόνου.

στρ. β.

Ἐπὶ δὲ τῷ τεθυμένῳ
330. *τόδε μέλος παρακοπὰ παραφορὰ φρενοδαλής*
ὕμνος ἐξ Ἐρινύων,
δέσμιος φρενῶν, ἀφόρμικτος, αὑονὰ βροτοῖς.

ἀντ. α᾽.

Τοῦτο γὰρ λάχος διανταία Μοῖρ᾽ ἐπέκλωσεν
335. *ἐμπέδως ἔχειν θνατῶν*
τοῖσιν αὐτουργίαι ξυμπέσωσιν μάταιοι,
340. *τοῖς ὁμαρτεῖν ὄφρ᾽ ἂν γᾶν ὑπέλθῃ· θανὼν δ᾽ οὐκ ἄγαν ἐλεύθερος.*

ἀντ. β′.

Ἐπὶ δὲ τῷ τεθυμένῳ
τόδε μέλος παρακοπὰ παραφορὰ φρενοδαλής,
ὕμνος ἐξ Ἐρινύων,
345. δέσμιος φρενῶν, ἀφόρμικτος, αὔονὰ βροτοῖς.

στρ. γ.

347. Γιγνομέναισι λάχη τάδ᾽ ἐφ᾽ ἁμὶν ἐκράνθη,
350. ἀθανάτων δ᾽ ἀπέχειν χέρας, οὐδέ τις ἐστὶ
ξυνδαίτωρ μετάκοινος,
† παλλεύκων δὲ πέπλων ἄμοιρος ἄκληρος ἐτύχθην.
354. δωμάτων γὰρ εἱλόμαν

μεσῳδ. δ.

ἀνατροπάς, ὅταν Ἄρης
τιθασὸς ὢν φίλον ἕλῃ·
ἐπὶ τὸν ὤ διόμεναι
358. † κρατερὸν ὄνθ᾽ ὁμοίως μαυροῦμεν ὑφ᾽ αἵματος νέου.

ἀντιστρ. γ.

Σπευδόμεναι δ᾽ ἀφελεῖν τινὰ τᾶσδε μερίμνας
θεῶν δ᾽ ἀτέλειαν ἐμαῖσι λιταῖς ἐπικραίνειν,
μηδ᾽ εἰς ἄγκρισιν ἐλθεῖν,
366. † Ζεὺς γὰρ αἱματοσταγὲς ἀξιόμισον ἔθνος τόδε λέσχας
ἇς ἀπηξιώσατο.

στρ. ε.

373. Δόξαι τ᾽ ἀνδρῶν καὶ μάλ᾽ ὑπ᾽ αἰθέρι σεμναί
τακόμεναι κατὰ γᾶν μινύθουσιν ἄτιμοι
376. ἁμετέραις ἐφόδοις μελανείμοσιν ὀρχησμοῖς τ᾽ ἐπιφθόνοις ποδός.

ἀντιμεσῳδ. δ.

369. Μάλα γὰρ οὖν ἁλομένα
ἀνέκαθεν βαρυπεσῆ
καταφέρω ποδὸς ἀκμάν
† σφαλερὰ τανυδρόμοις κῶλα δύσφορον ἄταν.

ἀντ. ε.

Πίπτων δ᾽ οὐκ οἶδεν τόδ᾽ ὑπ᾽ ἄφρονι λύμᾳ.
τοῖον ἐπὶ κνέφας ἀνδρὶ μύσος πεπόταται,
380. καὶ δνοφεράν τιν᾽ ἀχλὺν κατὰ δώματος αὐδᾶται πολύστονος φάτις.

στρ. ϛ.

Μένει γάρ· εὐμήχανοί τε καὶ τέλειοι, κακῶν τε μνήμονες, σεμναὶ
καὶ δυσπαρήγοροι βροτοῖς,
ἄτιμ᾽ ἀτίετα διόμεναι λάχη, θεῶν διχοστατοῦντ᾽ ἀνηλίῳ λάμπᾳ
δυσοδοπαίπαλα
δερκομένοισι καὶ δυσομμάτοις ὁμῶς.

ἀντ. ϛ.

τίς οὖν τάδ᾽ οὐχ ἅζεταί τε καὶ δέδοικεν βροτῶν, ἐμοῦ κλύων θεσμόν
τὸν μοιρόκραντον ἐκ θεῶν
δοθέντα τέλεον; ἔπι δέ μοι . . γέρας παλαιόν, οὐδ᾽ ἀτιμίας κύρω,
καίπερ ὑπὸ χθόνα
τάξιν ἔχουσα καὶ δυσήλιον κνέφας.

Superest, ut de prima cantici parte, quam *περικοπὴν ἀνομοιομερῆ* esse significavimus, dicatur accuratius. Nam quum carmen ultimam syzygiam habeat monostrophicam, praestare videtur, ne perfecta haec tollatur concinnitas, primam quoque esse monostrophicam

α α   β γ β   δ γ δ   ε ε

Sed sunt tamen certae quaedam caussae, quae ad *περικοπὴν ἀνομοιομερῆ* nos compellant. Quas exponentes primum posse eam admitti demonstremus, deinde admitti etiam oportere. Atque posse eam in tragicis carminibus admitti Agamemnonis threno declaratur v. 1448, in quo inaequalis circuitus cum mesodico ita est coniunctus, ut quattuor strophae, quae *περικοπὴν ἀνομοιομερῆ* efficiunt, coire in duas omnino non possint, inserti sunt enim anapaesti, qui omnem repellant dubitationem. Neque duobus solum mesodicis inaequalis ille circuitus cinctus est ubique, sed est etiam, ubi is mesodicon sequatur. Nam in Choephor. thren. v. 315 praecedunt quattuor mesodica, sequitur circuitus inaequalis et palinodicus, finitur carmen duabus syzygiis neque stropharum successio haec esse non potest, ut antecedat *περικοπὴ ἀνομοιομερής*, sequatur autem *μεσῳδικόν*, quod de Eumenidum carmine existimamus. Sin autem quis in hoc circuitu eadem recurrere verba miretur, quae pro epiphonemate potius quam pro integra stropha haberi conveniat: is primum meminerit eorundem verborum eadem stropha comprehensorum iterationem ab Aeschylo aliis quoque locis non solum non devitatam, sed consulto etiam et de industria ad vehementes animi motus ciendos quaesitam ut Eumen. 778. 808 et 837. 847, deinde vero in ipsa illa Agamemnonis pericopa inaequali secundae et quartae strophae v. 1494. 1518 verbum cum verbo consentire. At necessario etiam ea forma in Eumenidibus admittenda est. Non potest obiicere quisquam carere strophas illas verbo finito, est enim hoc incitatae turbulentaeque orationis proprium atque sive coniungis eos versus cum superioribus sive discernis, conditio semper erit eadem; verum ut eam quam instituimus divisionem certo demonstremus, exponamus necesse est, quae inter strophas intercedat ratio. Docuimus autem in artis metricae vol. III. varia stropharum genera in eodem carmine non poetae arbitrio aliud alio loco poni et misceri, sed in coniungendis atque secundum seriem ordinandis leges certas valere, de quibus poetae raro nec sine caussa decesserint. Iam in extrema Eumenidum parodo iambica locum habet syzygia eaque tragicae artis legibus conformata, in qua re morem suum secutus est Aeschylus, quippe qui (nisi totum carmen est iambicum) iambicas syzygias ad carminis exitum relegaverit, initio autem carminis eas non admiserit sequentibus aliis metris. Antecedere iambicis strophis solent trochaicae et dactylicae. Quod idem in Eumenidum parodum cadere manifestum est, antecedunt enim iambicis trochaicae et dactylicae.

Atque dactylicae quidem simillime sunt compositae, ambo enim ordiuntur a binis pentapodiis, stropha ε tertiam quoque habet pentapodiam, stropha γ tres minores generis dactylici ordines, ambo lecythio trochaico terminantur:

γ	ε
– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – –	– – – – – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – –
– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – –	– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – –
– – – ⏑ ⏑ – –	– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – – | – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
– ⏑ – – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – –	
– ⏑ – ⏑ – ⏑ –	

Eadem est stropharum trochaicarum similitudo, si quidem *περικοπὴν ἀνομοιομερῆ* constituere creduntur. Constat unaquaeque e IV versibus, quorum cola ad severas Aeschyli leges formata sunt, tetrapodiae per syncopam variatae et in singulis strophis singulae tripodiae logaoedicae:

μᾶτερ νὺξ ἀλαοῖσιν
παραφορὰ φρενοδαλής
κῶλα δύσφορον ἄταν.

α	β	δ
– ⏑ – ⏑ – ⏑ – | – ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑	⏖ ⏑ – ⏖ ⏑ –	⏖ ⏑ – ⏖ ⏑ –
– ⏑ – ⏑ – – –	⏖ ⏑ – ⏖ ⏑ – | ⏖ ⏑ – ⏑ ⏑ – –	⏖ ⏑ – ⏖ ⏑ –
– ⏑ – – ⏑ – | – ⏑ – – ⏑ – ⏑	– ⏑ – ⏑ – ⏑ –	⏖ ⏑ – ⏖ ⏑ –
– ⏑ – – ⏑ – | – ⏑ – ⏑ – ⏑ –	– ⏑ – ⏑ – ⏑ – | – ⏑ – ⏑ – ⏑ –	⏖ ⏑ – ⏑ – ⏑ – | – ⏑ – ⏑ ⏑ – –

Quae autem in his tribus syzygiis cernitur numerorum diversitas, ea ex argumenti diversitate fluxit. Enimvero syzygia α licet satis concitata et vehemens multo tamen est tranquillior et sedatior syzygiis β et δ, quibus summa persecutionis exacerbatio et rabies describitur. Unde fit, ut in strophis illis pedes non sint soluti, in his omnes fere sint soluti. Ergo in tanta stropharum similitudine quum *ἀνατροπὰς — νέον* et *μάλα — ἄταν* seorsum a reliquis sint strophae habendae: oportet qui simillime sint ordinum et numero et forma constructi versus, eos pariter strophas efficere plenas; non enim potest idem fere versuum complexus praesertim in hac numerorum proprietate modo dimidia pars strophae esse, modo tota stropha. Accedit quod versus *ἐπὶ δὲ τῷ τεθυμένῳ κτλ.* cum prioribus coniuncti stropham reddunt multo longiorem, quam quae Aeschyleis legibus sit consentanea, quod iam olim nobis offensioni fuisse in libris nostris declaravimus.

Sed satis de his. Perveniamus ad alteram disputationis partem, quae in sententiarum continuitate consideranda versatur. Ea supersedere plane possemus, nisi Prienius controversiam movisset. Fecit id, quantum scio solus et primus, nam ceteri omnes, qui Heathio addicti sunt, ut metricis exsolverentur incommodis, ad traiectionem confugerunt. Profecto res est gravissima, nam si orationis cursus suadet traiectionem, metrum dissuadere eam non potest. Atque ne aliorum errores refellere, bona autem expilare videamur: utrumque et Schoemannum et Prienium inducamus sua quemque verba loquentem. Schoemanni haec sunt: Um den Zusammenhang der Gedanken, der bei der handschriftlichen Aufeinanderfolge der Verse vollkommen gut und angemessen, bei der Umstellung aber zerrissen ist,

scheint man sich wenig bekümmert zu haben. Praeclare is quidem, qui quid poetae conveniat, callide perspexerit, sed ne denuo controversia agitetur, singillatim dicamus. Manifesta quidem inest corruptela in his *σφαλερὰ τανυδρόμοις κῶλα δύσφορον ἄταν* de quorum emendatione infra dicetur, sed quid sententiae subiectum sit, nemo dubitat. Furiae enim haec dicunt: *Magnificae mortalium de se ipsis opiniones subsidunt, quum nos pullatae accedimus inviso pedis saltu.* Haec in universum dicta sunt, iam sequitur enarratio. *Nimirum desuper salientes certo eum capimus pedisque robore calcantes, etiamsi citissime currat, tamen prosternimus.* Arctissime haec inter se cohaerent atque non solum sine ulla offensione procedunt, verum egregiam etiam totius rei imaginem pedetentim inde a prima Furiarum appropinquatione usque ad parricidae interitum repraesentant. Quid vero Prienius? Kaum wird man es gut heissen können, inquit, dass *τανύδρομοι* diejenigen genannt werden, welche von Hochmuth aufgeblasen sind *(δόξαι τ' ἀνδρῶν καὶ μάλ' ὑπ' αἰθέρι σεμναί)* . . . ., auch der Tanz, durch welchen sie den hochfahrenden Sinn vernichten *(τακόμεναι μινύθουσιν)*, wird minder passend durch *ἁλομένα βαρυπεσῆ κτλ.* bezeichnet als die Verfolgung des flüchtigen Mörders . . . Endlich begreift man nicht, nachdem von dem Sturze des Stolzen gesagt ist *δύσφορον ἄταν*, was der Zusatz soll *πίπτων δέ κτλ.* Ipse Prienius, vir doctissimus, elapsis XIII. annis fortasse nunc aliter sentit. Quid enim *τανυδρόμους* iubet fastu inflatos credi, quum qui sint nota verbi origo demonstret? Non enim ullo modo cogimur, ut *τανυδρόμους* referamus ad illa *δόξαι τ' ἀνδρῶν κτλ.* quum haec sit sententia: *Nimirum vehementer desuper saliens defero ponderosam pedis vim adversus vacillantia celeriter currentium parricidarum membra, atrocem perniciem.* Deinde *ὀρχησμὸν ἐπίφθονον ποδὸς* cur negat apte descriptum verbis *μάλα γὰρ οὖν ἁλομένα ἀνέκαθεν κτλ.?* Translate *ὀρχησμὸς* dicitur de sollerti pedum saltu, quo Furiarum chorus in parricidam irruit. Denique verbis *δύσφορον ἄταν* non prostratus dicitur parricida, sed intolerabilis calamitas, quae consequitur *ἐκ τοῦ βαρυπεσῆ ποδὸς ἀκμὰν καταφέρειν;* futurum est enim, ut actutum cadat et in Furiarum veniat potestatem. Haec qui negat bene procedere, lucem a nocte differre negat. Sed recte etiam Schoemannus Heathiana traiectione orationis comprehensionem disiungi atque disrumpi contendit, quamquam ea quae de hac re ipse disseruit, nobis pariter atque Hermanno parum videntur probabilia. Duo autem sunt, quae traiectionem aversentur. Primum enim egregia illa et per singulos gradus articulatim distincteque explicata imago, qua parricidae persecutio exitiumque describitur, exsectis versibus *μάλα γὰρ οὖν κτλ.* divellitur et obtruncatur, sublatique e certo hoc descriptionis progressu atque traiecti versus nihil fere continent nisi molestam quamdam eorum quae iam bis dicta sunt *θνατῶν τοῖς ὁμαρτεῖν κτλ.* et *ἐπὶ τὸν ὦ διόμεναι κτλ.* repetitionem. Contra si manent suo loco, superioribus *ἐπὶ τὸν ὦ δ.* res est in universum narrata, sequentibus *δόξαι — πολύστονος φάτις* singulatim per singulas partes exposita et cum universa rerum humanarum ratione consociata. Tum versus, de quorum ordine quaerimus, ipso confitente Hermanno non possunt aliter cum his *Ζεὺς γὰρ αἱματοσταγὲς ἀξιόμισον ἔθνος τόδε λέσχας ἃς ἀπηξιώσατο* recte coniungi, nisi ita, ut *ἔθνος τόδε ἀξιόμισον* Furias appellari existimemus. Id vero quo iure fieri possit, nos quidem non assequimur. Nam ut veteres grammaticos taceamus, qui *ἔθνος τόδε* interpretati sunt *τὸ τῶν φονέων*, Furiae invisas se diis superis dicere possunt, ut Apollo eas nominat:

μισήματ' ἀνδρῶν καὶ θεῶν Ὀλυμπίων alioque loco
ὦ παντομισῆ κνώδαλα, ϛύγη θεῶν,

odio se dignas dicere nullo modo possunt totaque fabula clamitat hoc sibi requirere Furias proprium quoddam et pervetustum ius, hoc sibi magna cum pertinacia animorumque exacerbatione vindicare, ut deorum aeque ac mortalium inviolabili reverentia ac sanctimonia fruantur. Quare verba *αἱματοϛαγὲς ἀξιόμισον ἔθνος* de parricidis dicta credamus necesse est. Sin autem quis versus *μάλα γὰρ οὖν ἁλομένα κτλ.* referre ad *σπευδόμεναι* etc. velit: non potest id nisi aegre fieri, quum interposita sint *Ζεὺς γὰρ αἱματοϛαγὲς κτλ.*, concedendumque est probato versuum ordine, qui est in codicibus, multo melius procedere orationis cursum. Ergo a sententiarum apta et commoda consecutione codicum scriptura non solum habet excusationem, sed insignem etiam commendationem.

His disputatis ad locorum, qui depravati aut habentur aut sunt, veniamus tractationem. Quorum fere omnium haec est ratio et conditio, ut quid sententiae subiectum sit, ambigi nequeat, quomodo vero numeris et sermoni Aeschyleo sint aptandi, magna etiamnunc sit dissensio.

Perdifficilis et perobscura quaestio est de versibus 358 et 372, in quibus emendandis ultra probabilitatem quamdam progredi non licet:

ϛρ. *κρατερὸν ὄνθ' ὁμοίως μαυροῦμεν ὑφ' αἵματος νέου.*
ἀντ. *σφαλερὰ τανυδρόμοις κῶλα δύσφορον ἄταν,*

De antistrophi sententia iam supra in universum exposuimus, strophae autem haec est: *hunc persequentes vel validum . . . obscuramus ob sanguinem inultum.* Negat Hermannus haec sententiae convenire, sed iniuste negat, nisi quod nostro arbitratu *ὁμοίως* male se habet, quod ipse tamen in exemplari retinuit. *μαυροῦν* et *κνεφάζειν* dicuntur dii, qui caligine circumveniunt perituros ut Agam. 130 *μή τις ἄγα θεόθεν κνεφάσῃ προτυπὲν ϛόμιον μέγα Τροίας* et infra *τοῖον ἐπὶ κνέφας ἀνδρὶ μύσος πεπόταται.* Porro *ὑπὸ* caussam indicat, qua fit, ut parricidae tenebrae offundantur, novusque sanguis qui dicatur, docet v. 204 *κἄπειτ' ὑπέϛης αἵματος δέκτωρ νέου.* Eadem scribit scholiasta *διὰ τὸ νέον αἷμα τὸ (τοῦ* lib.*) νεωϛὶ εἰργασμένον ὑπ' αὐτοῦ.* Fortiter igitur tenenda haec sententia est, ne aliena inferamus, ut fecit Hermannus adscita ex parte Schuetzii coniectura *κρατερὸν ὄντα περ ὅμως μαυροῦμεν νέον αἷμα* et postea

κρατερὸν ὂν ἔθ' ὁμοίως
μαυροῦμεν νέον ἄλμα

quorum neutrum ab Aeschylo dici potuisse alii iudicarunt. Manifestum est utrumque versum e duobus ordinibus esse conflatum alterum trochaicum, logaoedicum alterum hoc modo, ut logaoedicus qui est in stropha constet ex quattuor pedibus

— | *ροῦμεν ὑφ αἵματος νέου* vel
μαυροῦμεν ὑφ' αἵματος νέου,

is vero, qui est in antistropho, Pherecrateus sit vulgaris:

κῶλα δύσφορον ἄταν.

Iam quaeritur, uter ordo huic loco conveniat; nam ex hac re diiudicandum est, utrum stropha secundum antistrophum, an antistrophus secundum stropham emendanda sit. Praesto

sunt stropharum trochaicarum leges, quibus tetrapodia logaoedica ab hoc stropharum genere exulare iubetur, Pherecrateus autem crebro usu commendatur. Ergo haec *μαυ-ροῦμεν ὑφ' αἵματος νέου* exigenda sunt ad alterius ordinis mensuram *κῶλα δύσφορον ἄταν.* Cui ordini quae antecedunt *σφαλερὰ τανυδρόμοις*, ea certo sunt mutila, est enim tripodia catalectica, quae in Pindari carminibus logaoedicis valde est frequentata, in trochaicis Aeschyli plane inaudita necessarioque tetrapodia requiritur. Quare Hermannus excidisse aliquid ratus scripsit:

(σφαλερὰ τανυδρόμοις γὰρ
κῶλα) δύσφορον ἄταν.

unde oritur tripodia acatalecta non frequenter quidem in his strophis, sed interdum tamen admissa, melius tamen numerisque pariter ac rei grammaticae aptius foret,

(σφαλερὰ γὰρ τανυδρόμοις κτλ.

sed displicent cum alia tum particula *γάρ*, quae, ut recte sensit O. Muellerus, cum superioribus commode iungi non potest. Emendandi viam scholiasta monstrare videtur: *τοῖς τανυδρόμοις αὐτῶν κώλοις ἐπάγουσα τὰ σφαλερά μου κῶλα . ἢ ἀπ' ἄλλης ἀρχῆς, καὶ τοῖς τανυδρόμοις γίνεται σφαλερὰ τὰ κῶλα διὰ τὴν ἐπιοῦσαν αὐτοῖς ἄτην δύσφορον ὑπ' ἐμοῦ . οἷον, καὶ οἱ ταχίδρομοι οὐ δύνανταί με ἐκφυγεῖν.* In quibus priora quidem *κώλοις ἐπάγ. τὰ σφ. μου κῶλα* absurda sunt neque ex vetustis fontibus deducta, reliqua vero non solum quid Aeschylus dixerit, recte explicant, sed voculam etiam bis addunt, quam cur grammaticus posuerit, vix intelligi potest, nisi in veteribus exemplaribus eam lectam fuisse credamus *καὶ τ. ταχυδρ., καὶ οἱ τ.* Qua suo loco inserta non erit, quod amplius desideretur:

Μάλα γὰρ οὖν ἁλομένα
ἀνέκαθεν βαρυπεσῆ
καταφέρω ποδὸς ἀκμὰν
σφαλερὰ καὶ τανυδρόμοις κῶλα, δύσφορον ἄταν.

Videntur autem haec verba *σφαλερὰ — κῶλα* in parenthesi posita, quae scholiastae videtur fuisse sententia scribentis *ἀπ' ἄλλης ἀρχῆς*, sed equidem tamen vehementer de hac re dubito praesertim quum *δύσφορον ἄταν* quod sequitur praemissa parenthesi moleste claudicet. Quare alteram sequor constructionem eamque opinor probabiliorem. Quemadmodum enim *δόρυ καταβάλλειν ϛῆθος* dicitur multaque eius generis alia *ἄγειν τινὰ ὁδὸν, τοὺς πλέοντας ἄγειν καὶ φέρειν θάλασσαν*, sic poetico colore *ποδὸς ἀκμὰν καταφέρειν κῶλα* pro *φέρειν κατὰ κῶλα* desuper ferre pedis vim in parricidae membra. Est autem praepositio *κατὰ* eodem modo usurpata, quo *κατὰ ϛῆθος, κατ' ἀσπίδα βάλλειν* locumque significat, in quem motus dirigitur et accusativus *δύσφορον ἄταν* e genere est epexegeticorum, qui Aeschylo satis sunt familiares, pertinetque ad totum enunciatum *τὸ ποδὸς ἀκμὰν καταφέρειν.* In antistropho verba *κρατερὸν ὄνθ' ὁμοίως μαυ|ρ.* respondere debent verbis *σφαλερὰ καὶ τανυδρόμοις* potestque vox *τανυδρόμοις* aut pro cretico haberi aut pro diiambo, ut, *πολύχρυσος* Androm. 2 *ἀπότροπον* Phoen. 595. *ἐπέκλωσεν* Orest. 12 etc. Prioris mensurae hic ordo existit bis solutus

⏖ ⏑ – ⏖ ⏑ –

posterioris ⏖ ⏑ – ⏑ – ⏑ –. Vitium et grammaticum et metricum inest in *ὁμοίως*, quae vox

apud tragicos nunquam valet *tamen*, sed *similiter*, quod a nostro loco plane est alienum. Quare ὅμως scribamus cum Arnaldo, ut haec quae postulatur sententia evadat: *eum nos, etiamsi validissimus sit, tamen obscuramus.* Quo concesso consequitur ante μαυροῦμεν unam deesse syllabam brevem, quam recuperabimus scribendo ἀμαυροῦμεν. Ea forma, in quam Burghesius quoque incidit, legitur in codicibus Pers. 219 notumque est adiectivum ἀμαυρός vulgo praefixo α adhiberi, de quo cf. Well. lexic. Restant extrema ὑφ' αἵματος νέον quae ad verborum κῶλα δύσφορον ἄταν mensuram redigenda esse supra est demonstratum. Verissime autem Hermannus ea ex interpretatione orta suspicatus est, quamquam quod ipse scripsit νέον ἅλμα nimium recedit ab idonea et commoda sententia. Neque vero quid a genuina Aeschyli manu profectum sit, pro explorato unquam affirmari poterit, illud tamen verisimillimum est vocem fuisse minus cognitam, quae interpretationis indigebat ὑφ' αἵματος νέον μεμολυμμένον vel ut scholiasta ait διὰ τὸ νέον αἷμα τὸ νεωςὶ εἰργασμένον ὑπ' αὐτοῦ. Itaque Prienius finxit νεόαιμον, quod quamquam formatum est ut νεοαλδής, νεοάλωτος, melius tamen tragicoque sermoni convenientius νέαιμον sonare debebat. Nos quidem aliquando αἱμοφόρυκτον vel αἱματόφυρτον scriptum fuisse suspicabamur, sed licet fortasse propius ad scholiorum verba accedere. Nam si scholiastae vestigia sequimur αἷμα νεωςὶ εἰργασμένον Hesychiique glossam similem νεοεργής (vel νεουργής, νεουργός) νεωςὶ εἰργασμένος intuemur, facile eo deducimur, ut antiquitus αἱμονεουργῆ scriptum putemus praesertim quum πράττειν et ἐργάζεσθαι αἷμα trita sit poetarum locutio, ut Euripidis in Oreste εἴργαςαι δ' ἐμοὶ μητρῷον αἷμα κτλ. Appellatur autem αἱμονεουργὴς is, qui novissime caedem patravit inultam nec νεαιμοεργής vel νεαιμουργής sed αἱμονεουργής est dicendus. Totus igitur locus sic fere conformari potest:

ἐπὶ τὸν ὢ διόμεναι
κρατερὸν ὄνθ' ὅμως ἀμαυροῦμεν αἱματόφυρτον / αἱμονεουργῆ. / αἱμοφόρυκτον

in quibus certa sunt ὅμως et ἀμ., ultimum vocabulum incertum.

Alter locus itidem ac prior a sententia integer, a numeris corruptus hic est:

ςρ. πανλεύκων (M.) δὲ πέπλων ἄμοιρος ἄκληρος ἐτύχθην
ἀντ. Ζεὺς γὰρ αἱματοςαγὲς ἀξιόμισον ἔθνος τόδε λέσχας.

Scholiastae: παλλεύκων] οὐδαμοῦ ὅπη ἑορτὴ καὶ ἀμπεχόνη καθαρὰ πάρειμι. Furiae enim pullis vestibus amictae sunt μελανείμοσιν ἐφόδοις et in prologo καὶ κόσμος οὔτε πρὸς θεῶν ἀγάλματα φέρειν δίκαιος οὔτ' ἐς ἀνθρώπων ςέγας. In antistrophico versu, cui scholiasta adscripsit: ἔθνος τόδε] τὸ τῶν φονέων parricidas intelligendos esse, non Furias supra demonstratum est. Hic quoque locus magnam habet dubitationem, sed licet tamen repressa aliorum audacia emendandi viam munire. Quod Hermannus scribendum iudicavit

παλλεύκων πέπλων δ' ἀγέραςος ἄμοιρος ἄκληρος ἐτύχθην.
Ζεὺς γὰρ δειματοςαγὲς ἀξιόμισον ἔθνος τόδε λέσχας

omni caret probabilitate. Primum enim ne numeris quidem satis id est consentaneum quum versus

– – – ⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – –

qui e spondeo trochaeo pentapodia dactylica constat, in his strophis plane sit inauditus. Deinde δειματοςαγὲς quod Prienius probavit e falsa totius sententiae interpretatione, qua

Hermannus de Furiis haec dicta opinabatur, profluxit, tertii vero adiectivi ἀγέραςος, quod idem sonat atque ἄμοιρος et ἄκληρος, interpositio non auget orationis vim, sed deprimit et enervat nec simile haberi potest Sophocleum illud μοῖρ' ἀνυμέναιος, ἄλυρος, ἄχορος, quibus vocabulis non eadem plane res, sed eiusdem rei tres multum inter se diversae partes continentur. Frequens illa quidem est in threnis admissa uberior cumulatio, sed in parodis et stasimis non admissa nisi modice et caute, poterat tamen Hermannus memorare e Choephoris ἄμαχον ἀδάματον ἀπόλεμον. Vehementius etiam saeviit, qui haec sic truncavit

παλλεύκων δὲ πέπλων ἀπόμοιρος ἐτύχθην.
Ζεὺς γὰρ ἀξιόμισον ἔθνος τόδε λέσχας

Ecquisnam utrique versui glossam illatam ἄκληρος et αἱματοςαγὲς credet? Mitto Dindorfium et alios. Ista Hermanni et Hartungii ratione si res est agenda, omni emendandi conatu abstinere praestabit. Sed cautione adhibita fortasse melius procedet emendatio, dummodo salvam esse sententiam meminerimus neque in codice quidquam deprehendi, quo magnam verborum stragem accidisse credas. In Mediceo est πανλεύκων, quod si mutamus in παντολεύκων, primae versuum syllabae sibi apte respondent. Notum est autem adiectiva cum voce παν composita bifariam formari παντόμορφος et πάμμορφος, παντότολμος et πάντολμος, παντόπτης et πανόπτης, παντοτελής et παντελής. Deinde si vulgarem formam αἱματοςαγὲς mutamus in alteram αἱμοςαγὲς ut αἱμοῤῥαγής et alia, prodit versus antistrophicus et numerorum et verborum ratione elegantissimus:

Ζεὺς γὰρ αἱμοςαγὲς ἀξιόμισον ἔθνος τόδε λέσχας

ut Eumen. 530 et 540 in eodem stropharum genere αἰνέσῃς παντὶ μέσῳ τὸ κράτος θεὸς κτλ. et Pers. 854. ubi versus sic distribuendos docuimus εὖθ' ὁ γηραιὸς πανταρκὴς ἀκάκας ἄμαχος βασιλεύς. Quo effecto norma quaedam strophici versus emendandi data est: excidit enim una syllaba brevis:

παντολεύκων δὲ πέπλων ⏑ ἄμοιρος ἄκληρος ἐτύχθην.

quae qualis fuerit, in medio relinquendum puto. O. Muellerus non incommode scripsit ἀπόμοιρος, quod valde impugnavit Hermannus aliud esse dicens ἀπόμοιρος, aliud ἄμοιρος. Est ita, nam ἀπόμοιρος dicitur, qui aliquando rei alicuius particeps fuit, nunc non est particeps, ἄμοιρος qui numquam particeps fuit: sed falsus tamen est Hermannus, neque enim hoc discrimen ita premunt poetae, ut non alterum pro altero posuerint. Excogitari alia multa possunt, sed quod certum aut verisimillimum putem, non est in promptu.

Sed haec hactenus; reliqua de reliquislocis, quorum nonnulli corrupti sine caussa ducuntur et de universa carminis compositione alias.

Scribebam Vratislaviae Kal. Aug. MDCCCLIX.